

IV. Experimenta de Perforatione Thoracis, ejusque in Respiratione Effectibus,
 facta per *Guilielmum Houstonum, M.D.*
 & quondam R. S. S. cum *Lugduni Batavorum* commoraretur. Ann. 1728
 & 1729. Regali Societati communica per *Philippum Millerum, R. S. S.*

Exp. I.

ANNO 1728, mense Aprili, Thoracem parvi Canis pugugi ab utroque latere, scalpello angusto. Sed animal, hoc facto, non minus fortiter latravit & ululavit quam prius fecerat ; neque ullum dedit signum Respirationis læsæ ; unde suspicabantur adstantes quidam, me non usque in cavitatem pectoris instrumentum adegitse, quare alio vulnerum pari hoc dubium sustuli : sed simili omnino eventu, namque Cani permantere Vox & Vita integræ, ex horâ 9 matutinâ, ad 6 circiter vespertinam, quando illum occidi, ut, quid factum fuisset, viderem.

Thorace post mortem aperto, facile apparuerunt quatuor vulnera membranæ succingentis Costas, unde constitit singulas quatuor puncturas in Thoracis cavigum penetrasse. Sed inflatis Pulmonibus, nullum apparuit illorum vitium, quamvis culter fere transversum digitum intra cavitates penetrasset ; neque Aer citius effluxit quam ex Pulmonibus integerrimis effluere solet.

Exp.

Exp. II.

Mense Augusto ejusdem anni, duos nactus Catulos, quatuor circiter dies natos, idem experimentum in utroque institui, Thoraces eorum aperiens ab utroque latere, unius puncturis tantum, alterius latis vulneribus, adeo ut utrinque in conspectum veniret Pulmo; qui tamen nequaquam subsidebat, sed potius extorsum protrudi videbatur. Utrumque animal ejulare non desit, donec, post quadrantem horæ, misertus illorum vitæ & miseriis finem imposui.

Exp. III.

Eodem anno, circa mensis Novembris initium, Cani mediocri pectus aperui, factò utrinque ampio vulnere. Aperturis factis digitum intrusi in utramque Thoracis cavitatem, sensique Pulmones adeo collapsos ut spatium esset relicturn transversi circiter pollicis inter ipsos & membranam, quæ succingit Costas. Digitos suos similiter intrusere duo alii Medicinæ studiosi, idemque se sentire testati sunt. Sed Canis vinculis solutus surrexit illico satis alacriter, per cubiculum cucurrit, & Iesus ejulavit. Nullæ aperturis immisæ sunt turundæ, nec quidquam vulneribus impositum ante diem crastinum; tunc autem applicati sunt plumaceoli terebinthinæ illiniti. Canis per tres dies detentus, adeo non vocem amiserat, ut vociferando fuerit satis molestus; & tandem dimissus currendo aufugit.

Exp.

Exp. IV.

Anno 1729, die Januarii 14, Canem noctis juniorem, Thoracem ejus volui aperire Aerique ingressum parare, sine magno Cutis & Musculorum vulnere; ne molestam excitarem hæmorrhagiam, vel animali parerem dolorem non necessarium. Itaque, ope instrumenti *Trois quarts* dicti, immisi utrinque Thoracis cavo fistulam, ex pennâ anserina cui capitelli modo affixum erat alutæ frustum pice obductum, ut Cuti prius rasæ adhæreret, sicque fistulum retineret. At Cutis mobilis fistulam ilico e cavo Thoracis extraxit, sensique illam supra Costas hærrere; verum, sperans eam retineri posse, novâ puncturâ secundâ vice intrusi, idemque in altero latere toties feci, neque tamen unquam retinere potui. Hac itaque ipse dejectus, Cutim utrinque separavi longa incisione, posteaque Musculos intercostales discidi, & in utramque cavitatem Thoracis penetravi; quod ex Aere violenter erumpente patebat. Die crastino foramina turundas immisi ex subere factas, quæ, utroque extremitate crassiores, medio graciliores, nec fasciis nec emplastris indigebant ut retinerentur. Canis, hisce factis, non mortuus est, nec vocem amisit; sed edit, bibit, & satis bene se habere visus est, nisi quod vix potuerit in latus recumbere ob molestiam vulnerum & præcipue turundarum. Aeri interim subinde concessus fuit introitus extractis turundis, imo quidem uni lateri per fistulam fuit inflatus. Postquam sic duos dies egerat sine sensibili Vocis læsione, dum die tertio ipsum illum tractabam, subito utraque turunda satis magnâ vi explosa est; Aerque per foramina intrans

trans & exeuns tantum edebat sibilum, ut ille partim (ut videbatur) ejus sono perterritus, partim ne ego illum plus læderem metuens, aufugerit & sub lecto se absconderit. Profugi apprehensi vulneribus turandas denuo intrusi, quæ haud ita diu post iterum exslierunt. Atque hoc quidem in statu vixit ab hora 10 matutina ad 5 circiter vespertinam, & a pluribus Medicinæ Studiosis non sine admiratione visus est. Tandem rem communicavi D. Van Swieten Medico hujus Urbis doctissimo, qui rem cum cæteris miratus, animal ut occiderem & cadaver examinarem suasit ; sed ego, vulnerum effectum ulteriorem expectans, mortem ejus in Diem craftinum distuli. Vixit itaque quatuor dies integros post Pectoris perforationem, & tandem laqueo strangulatus est ; neque signa dedit Respirationis læsæ ante finem diei tertii, quando paululum anhelosus factus est.

Thorax post mortem apertus Saniem continebat utrinque, satis magnâ capiâ. Pulmones in exiguum spatum erant contracti ; uno latere, quantum videre potuimus, integri ; altero vulnerati.

D. Van Swieten, ut in hanc rem ulterius inquireret, ipse experimenta quædam instituit. Primo ejus, ego quamvis invitatus non potui interesse ; sed secundum (quod vidi) ita successit.

Exp. V.

25 Jan. 1729. Cani mediocri, asseri alligato, Thorax apertus fuit utrinque, largo vulnere. Animali Vox non defecit ; & Pulmones adeo non collapsi sunt, ut per aperturas eruperit utrinque illorum lobulus. Lobuli hi extus hærentes dilatari & contrahi
non

non defierunt ; &, quod maxime mirum, dilatatio illorum Thoracis contractioni erat synchrona, & contra. Aer in Pectoris cava inflatus Animalis Respirationi nihil nocuit. Postquam sic per semihoram vixisset, sine ulla Vocis vel Respirationis laetione sensibili, Thorax ab uno latere apertus fuit ulterius, discissâ costâ. Tumque apparebat (magnum paradoxum !) Pulmonem contrahi dum Pectus dilatabitur, dilatari dum hoc angustabatur. Huic etiam operationi supervixit Canis, donec, re ab omnibus abunde perspectâ, laqueo strangulare damnatus est.

Phænomena horum experimentorum inexpectata fecerunt, ut sequens etiam instituerem, cum amicis quibusdam eidem studio incumbentibus, quo examinaremus num Pulmo semper applicaretur membranæ Pleuræ, integro Thorace.

Exp. VI.

Canem parvulum, extensis artubus, firmiter super afferem ligavimus. Cutis elevatae portionem forfice abscidimus, eâ Thoracis parte quâ Costæ ab incumbentibus musculis minime teguntur. Abstergo sanguine, & fluxu ejus Vini spiritu cohibito, quicquid adhuc Costas & intercostales Musculos tegebat id arreptum tenaculo abscidimus; tandemque & ipsos intercostales Musculos caute separavimus. Membrana Pleura dicta, hoc modo nudata, hæcce aspicientibus exhibuit Phænomena. Dum Pectus dilatabatur apparebat intus membranæ applicatum aliquid album, dum vero angustabatur Pectus, & expirabat animal, album illud sursum fugiens locum cessit ascendentî cuidam corpori rubro; tumque mox dilatante se Pectore,

Pectore, rubrum iterum descendit, locum ejus occupante albo ; & sic per vices. Hoc viso, superius costarum interstitium etiam musculis nudavimus, sed eo in loco apparuit nihil nisi album. Membrana, utraque parte, quâ nudata erat, dum Pectus dilatabatur, fiebat concava ; dum angustabatur, paululum (sed vix sensibiliter) convexa.

Hicce ad satietatem contemplatis, dicitis duabus Costis, Pectus aperuimus, tam amplo vulnere ut quicquid fere in eo latere continebatur oculis pateret. Animal hoc facto vocem non amplius edidit, quamvis ab altero latere Thorax ejus esset illæsus. Pulmo multum ilico collapsus est ; sed alternum dilatationis & contractionis motum non penitus amisit : eratque, omnium aspicientium consensu, dilatatio ejus contractioni Thoracis synchrona, & contra. Cordis tandem ventriculus pertusus est, ut intrusus digitus sentiret vim ejus muscularēm ; sicutque de Respiratione simul & Vita actum est.

Fueram ego prius in ea opinione quod Homo, vel aliud animal ex perfectioribus (nam Ranarum & similiūm alia ratio est) non posset vivere si Aëris in utramque cavitatem Thoracis admitteretur. At quam sit falsa hæc opinio, satis docent experimenta recensita ; simulque repugnare videntur doctrinæ Respirationis ab omnibus merito receptæ, quæ statuit Pulmones dilatari a pondere Aëris per Laryngem intrantis, quando pressio ejus ab externa illorum superficie tollitur dilatatione Thoracis. Verum hanc apparentem repugnantiam sic tolli, vel saltem minui, posse existimo.

Supponamus utrumque vulnus duplum esse aperturæ Glottidis ; sed integros esse Pulmones, omniq[ue]

vi contractili destitutos. Sitque Thorax jam dilatatus, & à Pulmonibus Aere distentis repletus, tum

1. Prima Thoracis contractione, exibit Aér per solam Glottidem.

2. Dilatato iterum Thorace, intrabit Aér, eâ mensurâ, quâ ejus capacitas augetur ; sed non omnis intrabit per Glottidem, neque omnis per Vulnera, sed per singulas aperturas intrabit pro ratione earundem ; & quantitas, quæ per Glottidem intrabit, erit ad quantitatem quæ per Vulnera intrabit, ut Glottidis ipsius apertura, ad summam aperturarum Vulnerum ; sive in presenti casu ut 1. ad 4. Ergo Aér quo Pulmones nunc inflantur, erit $\frac{1}{4}$ illius quo fuissent inflati si Thorax mansisset integer.

3. Dum secundâ vice contrahitur Thorax, debet Aér per easdem vias egredi per quas in præcedente dilatatione est ingressus : &, si immutatae manent aperturæ, debet Aér, qui per vulnera ingressus est, per eadem exire eodem præcise tempore, quo Aér per Glottidem ingressus per illam exit. Unde nullus Aér manebit inter Pulmonem & Pleuram, sed omnia erunt in eodem statu in quo fuerunt in fine primæ contractionis ; & si ad vitam & vocem Animalis sufficit $\frac{1}{4}$ solitæ inflationis Palmonum, vel si Thoracem potest dilatare quinques plus solito, tunc nihil obstat quin aperto sic Thorace possit vivere & vocem formare.

Unum supposui plane falsum, Pulmonem omni vi contractili destitutum esse ; quod omnia everteret nisi daretur aliunde compensatio. Verum constat Glottidis rimam pro arbitrio animalis arctari posse

vel

vel dilatari, & quidem actu dilatari, dum inspiratur Aér, arctari vero dum expiratur, (altem dum Vox formatur); unde tantum potest Aëris ingressus juvari à Glottidis dilatatione, quantum, impeditur a Pulmonum vi contractili; tantumque ejus egressus impediri à Glottidis arctatione, quantum a contractione Pulmonum juvatur. Poteritque æquilibrium servari, vel una alterave causa prævalere, prout animal hanc potestatem mutandi Glottidem habuerit, vel eadem usus fuerit. Quod etiam cum Phænomenis apprime convenit; nam cani vociferanti Pulmones per Vulnera erupere; dum silebat, iterum introiverunt, nec eruperunt unquam.

Quod ad illud Phænomenon attinet quo Pulmvisus est dilatari dum Thorax contrahebatur, credo illud non aliam ob causam sic accidisse quam quia musculi Abdominis vi ingenti, & quasi convulsivâ, contracti sursum pellebant omnia, & multum minuebant Thoracis capacitatem; unde Aér ex inferioribus Pulmonum pulsus ad superiora tendebat, & Pulvis quamvis, si totum species contractus, tamen eâ parte quâ vulnus respiciebat dilatabatur.

In sexto Exp. res ipsa loquitur, album Corpus Pulmonem fuisse, rubrum Diaphragma. Quin & Pulmones Thoracem integrum replere, ejusque membranæ superficie suâ applicari, ut vulgo creditur.

Restant autem hac in re difficultates aliæ, accuratio-ribus experimentis & acutioribus ingeniis tollendæ.